

LOGICA ARI-

STOTELIS AB ERVDI-
TISSIMIS HOMINI-
BUS CONVERS A.



CONIMBRICAE.

Apud Ioannem Barrerium,
& Ioannem Alvarez
Typographos Regios.

M. D. XLIX.




COMPRA

233404

STOETELIS, AB ERVNDI
T 1221 M 12 HOMINIA
BUS CONVERSAS

Res
4564



COMPTONIC AE.
Apud locumque Barcinonae
& locumque Alarum
Typographos Regios.

M. D. XLIX.

AD IOANNEM

TERTIUM INVICTISSIMUM
PORTUGALLIAE, ET ALGAR-
biorum Regem, Africum, Arabicum,
Persicum, Indicum, Principem
potentissimum

Melchioris Beleago praefatio.



VVM solus tot curas suscipias, Rex po-
tentissime, omnesque actiones tuas verae
virtutis ac perfecti officij ratione, in tuo-
rum civium utilitate, & regni maiestatem
dirigere referreque soleas: barbaras Indiae nationes,
vt superstitione repudiata se ad Christum ardenti
studio conferant, legibus ac institutis informare quo-
tidie cogites: aduersus impias Africae contumacis gen-
tes Christo duce grauia bella suscipias: domesticas
ares, & decora pacis bellicis minime concessura, cum
Christianis adeo sapienter conserues, vt maximo bel-
lorum incendio inter Christianos principes excitato,
summa pace semper Lusitania fruatur: summam dili-
gentiam in rebus diuinis rite peragendis, in sacris
aedibus, ac gymnasijs extruendis adhibeas. Hac cum
te videam & pleraque alia negotia solum sustinere, in-
iuriam populo tuo fecisse videar, si te prolixius re-
morer, & tempus illud praeripiam, quod alicui Reip.

eras daturus, his præsertim temporibus, quibus iram indignationemque, tuam hostes Christiani nominis promerentur. Verùm cum in maximis (quæ vel ad rerum summam pertinent) negotijs, literarum studia, quæ ad bene beatèque viuendum plurimum valent, minimè negligere soleas: aliud intestinum bellum, quod diu in hoc regno fouimus, quod tu iam prope modum cōfecisti, in memoriam reuocabo. Nam longè aberrant illi, qui grauius cum quibusuis hostibus, quàm cum imperitis ac ferme humanitatis expertibus, certamen esse existimant: nam si ad omne bellorum genus prorsus aduertas, & ad incommoda, quæ inde in perniciem hominū proueniunt, oculos conijcias, illud ipsum bellum, quod nobiscum gerit barbaries: quod intra communes parietes sit, magis infestū, intestinum ac perpetuum: aliud verò externum & temporarium iudicabis. Hoc enim, vt res pessimè cedat, facit, vt de bonis fortunæ, corporisq; periclitemur: illud verò omni detestatione maius passim grassatur, ac animis latenter insidiatur, cuius labes in animum paulatim serpit, tandèmq; funditus euertit: nihil hîc fortunæ alea, nihil incertæ rerum vicissitudines, quæ in alijs prælijs valent: quos semel rerum inscitia inuasit, turpiter foedèq; superauit. Et quod nobis à deo optimo maximo summū munus est datum, nempe vt belluis præstemus, secum tollit & rapit: differimus ab imperita multitudine, barbaris, feris, quòd literas habemus, ipsæ non habent: quã quidem animi excellentiam si auferas, barbaris, vulgo, feris

deteriores simus. Quamobrem, Rex excellentissime, incredibili tua quidem virtus apud omnes populos gloria ad coelum effertur. Quorum tandem (neminem ex clarissimis viris excipio, neminem ex regibus, aut imperatoribus) quorum inquam res præclare gestæ, laureæ, aurati currus, cum tuis rebus factisque prorsus immortalibus poterunt comparari? Aliorum quidem titulos ac triumphos legentes admiramur, tuos verò obstupescentes numerare non possumus: tamen hoc pace dicam tua, nulla in his laus est amplior, quàm ea, quam de expulsa è regno tuo barbarie es consequutus. Tu Lusitaniam anteà bonarum artium rudem, omnibus disciplinis ita instruendam curas, vt sub te spiritum & sanguinem semisepulta literarum studia recepisse videantur, quæ priorum temporum immanitate, quodam modo exulabant, & incitiam grassante intermorta iacebant. Tu musas in patriam reuocasti, tu flagrantissime amplecteris, adiuuas, prouehis, in complexu, oculis auribus habes: tantumque eas diligis, quantum ab ipsis probaris. Nullæ tuæ sunt tam multæ cogitationes, tam arduæ, quæ curâ tibi hanc excutiât, aut imminuant. Quod sapiens tuum consilium, cum apud me tacitus reuoluerem, & in hac celeberrima tua academia Philosophiam iussu tuo profiterer, cumque multò purius & ornatius illam à plerisque viris doctissimis illustratam esse scirè, quàm hîc traderetur, existimaui non ingratum tibi fore, si expulsa barbarie imperitorum interpretum, quibus conspurcata diu Philosophia iacuit,

nitorem pristinum recuperaret: praesertim in ea parte, quae ad differendum pertinet: qua nihil incultius, horridius, ineptius habebatur: adeo ut viri doctissimi Conimbricæ (quam tu urbem potissimum beneficentiae tuae sedem esse voluisti) Graecè mallet, quam Latine Aristotelem interpretari, qui veluti Sibyllae furentis coniecturas exerceret: quo labore non modo meos auditores, sed & posteros subleuatos iri confido. Etenim Perionius vir Gallus Latinos omnes in hoc munere scribendi interpretandique superauit. Aristotelemque sibi sic reddidit, ut Graecam proprietatem in transferendo non modo aequare, sed cum ipso Aristotele elegantia certare videatur. Erant tamen in hoc opere loci nonnulli, eleganter illi quidem versis, sed à communi dicendi consuetudine adeo abhorrentes, ut tenebras legentibus plerumque offunderent. Quos Nicolaus Grouchius literarum Graecarum & Latinarum nomine, officiique societate, quo simul in hoc tuo gymnasio fungimur, mihi coniunctissimus, summo iudicio & consilio iam pridem restituerat: ac libros de Demonstratione, & de Reprehensionibus fallacibus tam eleganter nunc nuper vertit, ut parem fidem atque elegantiam, praestitisse videatur. Sed non decet praeterire praceptorem meum Firminium Durium: magnum utique virum, & quem iure omnis miratur posteritas: ingenio facili, copioso, & quae sermonis maxima est virtus, aperto: doctrina, eloquentia, rerum peritia prudentiaque, & ut semel dicam, summum virum, qui libros de Prima Resolutione sic vertit, ut

nulla alia præter eam, quam ipsa rerum habet obscu-
ritas, nobis obijciatur difficultas: cum tamen prius
necesse haberemus mētem Philosophi, velut oraculi,
suspēsam & ambigūā indagine perquirere: ausimq;
iam dicere, nunquam Aristotelem puriorem splen-
didiorēque in manus hominum peruenisse. Cum
itaq; opus istud Philosophiæ studiosis vtile & perne-
cessarium esse intelligerem, excudendum curavi, &
primus in hac Academia interpretari sum aggressus.
Cum verò ea sit literarum dignitas, & quasi præro-
gatiua, vt dicari sibi eas principes & honestum & glo-
riosum putarent, numini & maiestati tuæ hoc opus
consecraui: præsertim qui sciam in hunc locum per
te venisse, & ad summum fastigium peruenturas:
quæ te nunc obsecrant obtestanturque (quāuis
tuæ maximæ sunt occupationes) vti cœpisti
exornes atq; amplifices, eoque bono per
te alijs frui liceat. Nihil quicquam in
vita præclarior efficeret, nullum
maius ad posteros be-
neficium poteris
transmittere.
Vincat & valeat tua Ma-
iestas ac Potentia.